

B. M. II, 54

h. 8, 11.

X 1880 769



2. D. B. V.

DE

FORMA SIVE STATU

S. R. IMPERII,

PRÆSIDE

DN. NIC. CHRISTOPHORO

LYNCKERO, JCTO,

CONSILIARIO AULÆ, REGIM.

ET CONSIST. DUCAL. SAXON.

FACULT. JUR. SENIORE, ET H. T. DECANO;

CUR. PROVINC. AC SCABIN. ASSESS.

ET ANTECESSORE PRIMARIO;

DOMINO PATRONO, PRÆCEPTORE

AC HOSPITE SUO COLENDISSIMO;

IN

AUDITORIO JCTORUM,

D. JUN. A. O. R. MDC LXXXVI.

DISPUTABIT

WOLDEMAR à KIRCHRING,

NOBIL. HOLSATUS.

J E N Æ,

RECUSA Literis WERTHERIANIS.

1699.

2

301. a

92.









DE  
FORMA SIVE STATU  
IMPERII.

C A P. I.

*DIFFICULTATES IN HANC  
QVÆSTIONEM INVE-  
CTÆ, UNDE.*



Uam intricata & vexata,  
per omne genus obscu-  
randæ veritatis, fit hæc  
quæstio ; non eget demonstra-  
tione, sed deploratione.

Neque ignotæ sunt causæ :

A 2

par-



*partim* à diversis hominum studiis & affectionibus ; (a.) *partim* à disciplinæ civilis depravationibus, erroribus, deliquiis.

(a.) *Affectionibus.* Quas ut compe-  
 scant, plerisque eò difficilius est, quò commodis vel  
 suis, vel eorum à quibus pendent, magis reguntur.  
 Inde Cæsaris potestatem alii extollunt, alii Statuum,  
 cum primis eorum, qui vel Libertati suæ vel Religio-  
 ni à Cæsare ejusve domo metuunt ; nonnulli quo-  
 que Papam respiciunt : ceu plus Cæsari potestatis tri-  
 buunt in sacris Protestantes, minus Catholici. Qui  
 verò superstitione antiquitatis non satis perspectæ tra-  
 huntur, ut eò per omnia reduci nostra (invitis Legi-  
 bus) oporteat, vel etiam authoritates quorundam re-  
 verentur : eos facilius contemnere licet, quàm si quis  
 novam difficultates tenerrimæ quæstionis superandi  
 rationem indicet ; dummodò non vanæ gloriæ stu-  
 diò, quod hucusque novantibus evenit, sed veritatis  
 sensu agitetur : qualem meritò reputaveris, si quem  
 religio conscientia moveat, si quem amor patriæ &  
 Legum fundamentalium præscientia : quemque inte-  
 rior notitia Statûs, per negotiorum experientiam, eò  
 ferat, ut non tam speciem Majestatis, ad vulgatas Po-  
 liticorum regulas, quàm individuum, (quod usque-  
 dum simile non habet,) & hoc quidem cum mode-  
 stia



stia, investiget: quam plerique hactenus non rationibus tantum inanibus, sed (quod maxime indignum est,) verbis etiam exuerunt.

In tam vasto Imperii corpore, inter varia diversarum mutationum tentamenta, (b.) simulacra, specimina (c.) fieri equidem non potuit, quin alius astrictioris, alius liberioris; simplicis alius, alius mixti generis regimen adamaret præ altero, & in tali schemate interpretando, studio potius suo, quam iudicio, aut ingenio rei, obsequi constitueret.

(b.) *Mutationum tentamenta.*

Sive à Cæsaribus, potentiae aut religionis studio, sive à Statibus, affectatione Libertatis: de qua vel maxime illis temporibus periclitari censebantur, ubi Religioni Cæsar Pontificius imminebat. Hinc omnino acrius de Imperii formâ, post exortam de Religione contentionem, disceptatum est: eoque ferè Bella Germaniae interna, queis Cæsares quosdam implici-



tos vidimus, referuntur: Sic enim quando aliàs etiam motus civiles in Republ. exsurgunt, quisque ad examen formæ refugium habet; quantumvis Cæsar pro officio tantum partibus dissidentibus intercederet,

(c) *Specimina* Nec tamen ex facto, sed ex juris dictamine, vis Imperii æstimanda est: cum aliàs Monarchia modò arctius adstringat sua vincula, modò leniùs; prout vel Cæsar præpotentiâ, vel Statuum unus aut plures, cum Cæsare collisi, Libertato suâ, abutuntur: Indeque per momenta & gradus, exterorum blanditiis adspirantibus, quàm plurimis in dubium tracta & tandem abnegata penitùs Majestas Cæsaris. Et tamen ex potentia judicari non debuit Imperantis potestas neque solis exemplis definiri forma Regiminis, quando, ut *Forstnerus* ad Tacitum *XIII. Annal. c. 54.* sub potentibus & bellicosis Principibus intensior fuit dominatio; sub inertibus autem & invalidis major Procerum audacia. Scilicet mutationes extraordinariæ, quoad Jura Statûs, attendi non convenit, nec varietates temporum de summa rei quid detrahunt.

Cum præsertim non facile sit, eruditum & accuratum de Statu Rerumpublicarum ferre judicium  
 r. propter Schemata τῆς ἀρχῆς  
 externa,  
 na,



na, & administrationis per simulacra adornatæ varietatem. 2. quam à Statu non satis distingueresolent. 3. quia imperantium arte, & vario consilio abstruditur. 4. exempla plerarumque rerum publicarum in Europa.

Accessit confusio disciplinarum, & imperitia Civilis scientiæ solidioris, quæ confusioni illi ansam dedit.

Hinc est, quod modò Juris Canonici, & civilis, decreta, alieno loco, nullo idoneo usu citabantur; modò *Fèudistarum* sententiæ de *Regalibus*, cum Politicorum doctrina de *juribus majestatis & summi imperii*, non uno modo, nullâ consequentis noxæ  
aut



aut periculi ratione habitâ, permiscebantur: modo nova ex foro vocabula arrepta, aut conficta, quasi vitandæ confusioni, cæterum, quando ab aliis pridem usitatis non distinguebantur, augendis tricis inferviebant. Inprimis *Superioritas territorialis* variè & nominabatur, & explicabatur, applicabaturque.

Est & aliis modis peccatum, tum quod immane scribendi & describendi cacoëthes, imperitissimo & audacissimo cuique familiare, nullâ præsentis aut posterisæculi reverentiâ, chartis non inutilibus modo, sed vehementer noxiis Germaniam implevit: tum, quod genius sæculi intricandæ  
 JES  
 omni,



omni, quæ de Republicâ agit, sapientiæ intentus, ad coeca illa vulnera Imperio inferenda illata-ve connivendo, labem domi pæne insanabilem, foris ludibria & contemptum concivit.

Finge, gentem, ubi de Republicâ docti indoctique, viri, adolescentes, scribant non ea quæ sunt, sed quæ aliqui esse vellent, (jure an injuriâ, utiliter aut periculose, non curetur) atque hæc & talia serio aut per risum, ingenii quisque sui vitio aut ductu commententur. Quid de ea consuetudine judicandum sit, intelligetur forte, si misera, etiam Pace, facies Germaniæ, se oculis non coecutientibus spectandam offerat.

B

Cap.



## CAP. II.

*EXEMPLA SENTENTIA-  
RUM, EX DIVERSIS CAU-  
SIS EXERRANTIUM.*

**H**Ostes, hostium Rempubli-  
cam, non ex vero, sed iis co-  
loribus depingere, quibus  
vel suspecta, vel exosa aut con-  
temptibilis fiat, nec mirum, nec no-  
vum est. Demosthenes ubique  
hoc agit, ut Philippi Regis Mace-  
doniæ imperium deformat, & no-  
tis quibusdam turpibus designet.  
Non segniori arte Philippus, non  
armis magis Atheniensium poten-  
tiam concutere, quàm vituperiis  
republicam dehonestare stu-  
duit.

Imo,



Imò, inter vota hostium ordinaria est, Rempublicam hostilem reformare in statum quendam victoris propositis magis idoneum aut opportunum. Quod Atheniensium Spartanorumque grandibus & multis exemplis constat. Ne de Romanorum consiliis in alios, nunc dicamus.

Hunc ferè ad modum, fervente adhuc bello novissimo Germanico, *Hippolitus quidam à Lapide* (d.) scripsit *de Forma & Ratione Status Imperii Romano-Germanici*, sicut partium bellantium uni commodum videbatur. Hostem hostilia loqui, non putabatur illicitum. Male tamen de scriptore, & iis, quorum auspicio scripsit il-

B 2

le.



le, judicant; qui verè eos ita sensisse arbitrantur, sicut tum, temporis causa, in literas relatum est.

(d.) *Hippol. quidam à Lapide.*

Dranséus, auspiciò *Suecorum*, qui multum *in negotio Pacis* sibi profuturum existimabant, si extimulata, in turbis *Libertas* Statuum in *Austriacæ Domûs* odium verteretur: Repressâ scilicet potentiâ & autoritate *Capitis, membrisque* dissolutis, sibi que relictis; dum *singuli* infirmarentur, ab *universis* terræ in Imperio quæsitæ servari certius posse credebantur. Hinc omnia promiscuè cumulavit *Dranséus*, instar causidici, quæ nec ipse omnia probaret, ut causam à credulis & irritatis obtineret: effingens sibi *formam* Imperii, quam pro *ratione Status* introducendi facilius dissipari posse autumaret.

Et de *forma & statu* quidem, *Imperii*, ea tradi in illo libro, periti animadvertent, quæ nec Scriptor nec lector usquam intelligat; Scriptor præterea nec intelligi voluerit. Dicere enim aliquid

VO-



voluit, ne hiatum relinqueret: non quid definiret, habuit, aut apud se constituit. Scilicet hæc *Arcana* ipsi & aliis debuit esse *Historia*. (e.) Quare nec in hunc diem, quod sciam, repertus est, qui sententiæ illi, *de Statu Imperii*, secum & cum principiis Politicorum discorde, (f.) suffragaretur.

(e.) *Historia*. Quæ tutius serpens per latebras, intereà magnam vim in animis, ad mysteria illa adspirantibus, in modum *Historia arcanae Procopii*, scripti contumeliis in (*Justinianum*) *Cæsarem* scatentis, relinqueret.

(f.) *Discorde*. *Monarchiam* enim Imperatori penitus abjudicat; & tamen in multis hæret juribus: quæ cum subtrahere Cæsari ne prætextu quidem ullò potest, ad cavillationes ac sophismata dilabatur, & jura illa, tanquam minutula, nihili æstimanda præcipit, aut externam tantum speciem eamque antiquam, & velut umbram, Majestatis, referre; de cætero autem vim nullam Imperii, nec tranquil-



litatem ejus attinere, ait. *Part. l. c. 4. sect. 1. n. 5.* Undenam verò Hippolithus Imperatori, salvò jure salvisque Imperii Legibus, ut nunc etiam habent, adimi jus omne ac potestatem Imperii posse probat? solà ipsi imagine relictà. Unde jura saltim *Reservata*, (nam cætera constricta & unà Ordinibus debita crepat, levia autem dicere veretur,) minuta esse evincet? quorum pleraque ad *Juris. constituendi*, multa etiam ad *reddendi* potestatem respiciunt, & Rempubli-  
 cam omninò, licèt diversimodè, concernunt. Quid quòd nullum jus Majestatis, (cei nec jura Majestatis internà formà, sed objectis tantùm, differunt,) ad externam tantùm speciem pertineat. Quomodo deinde Hippolithus Imperii nostri Statum *Aristocraticum*, iterumque ex diversis Aristocratiis mixtum, imò verò administrationem Aristocratico-Monarchicam asserere potuit? *d. l. & Part. l. c. 17.* Nunquid enim administrant illi, qui de Statu participant? & num Imperator, (quod vult ille,) nudus est Administrator? qui tamen in Aristocratià istà Majestatem unà tene-  
 ret. Num etiam, si Imperium Aristocratià, utut mixtâ, constaret, (cei quidem ille vult, potissima jura Majestatis penes Imperium, hoc est universos Ordines in Comitibus congregatos, residere, Electores verò nec pauca nec postrema, cum tempore, absque Ordinum cæterorum interventu expedienda, sibi arrogasse ut minuta solùm Imperatori relictà sint:) necesse non foret, quædam Majestatis jura Statuum Collegiis ita competere, ut ratione illorum Imperator unà



unà cum istis Majestatis foret particeps; separatim, verò spectatus, & extrà istud Collegium, subditus eorundem haberetur, ac unitis eorundem suffragiis cogi ac vinci posset: quod non modò apertè adversatur Imperii juribus, sed & usui Comitiorum: Nec poterat prærogativas Collegiorum, & imò quorundam sæpè de Collegiis, in eum modum respicere *Lapidus*, ut inde jura Majestatis conficeret. Valdè nimirum conducere poterant *Hippoliti* scopo, ad quem collimaverat, diversæ Aristocratiae in Republicâ, saltem in animis ad similia pronis, instituendâ, cum Respubl. instituta ei non utique adspiratura esse videretur.

De cetero, licuerit illi, non alia dicere, quàm quæ suo proposito convenire existimabat. Et, si quis e. g. non illa tantum, quæ ex *Actis & Documentis publicis* magno prætextu adfert, sed etiam quæ his adjuncta & præmissa in *Actis* sunt, (g). inspiciat, & illud antiquum æquumque sibi proponat, *audiatur & altera pars*; haud  
ra.



rarò alia prodibit rerum facies, a-  
lia iudicii series. Nimirum in  
dissidio publico, ut in foro, una-  
quæque pars, sibi tantum profu-  
tura adfert: ex quibus iudex non  
prius sententiam fert, quàm do-  
nec alterius partis responsa & ar-  
gumenta cognoverit, quæ ratio  
apud multos satis excusare vide-  
tur Hippolitum. Sed, qui extra  
disputationes in partibus & à par-  
tibus agitari solitas, in Pace me-  
dia profitetur, se historiam & acta  
alicujus negotii publici, aut con-  
troversiaë juris publici relaturum,  
& deinde alterius tantum partis  
sententias & declamationes, ne  
verbis quidem partium studia  
spirantibus omissis, adfert, ille  
im-



imposturam facit, dignam lege  
coërceri,

(g) *In actis sunt.* Quorum specie, (ut  
*Reinkingius* quoque, in *Prefat. edit. nov. de Reg. Sec. &*  
*Eccl.*, meritò inter alia, quæ *Hippolitbo*, sibi tam ini-  
quo, imputat, conquestus est,) incautos Lectores, va-  
ferrimâ ratione, *Bœclero vers. Sed qui extrâ.* in aliis  
extrâ partem positis, meritò improbatâ, decepit. Ne-  
que enim Acta illa fide nituntur pari cum Legibus pu-  
blicis, seu decretis Comitibus, sed unius partis asser-  
to insistent, ut *Eristica & unilateralia* quælibet: ex  
quorum formâ nil quicquam authoritatis pendeat,  
nisi veritatem in his assertorum ipsa rerum argumenta  
comprobent.

Multa sunt indicia, non ea ple-  
rumque dicere Hippolitum, quæ  
sentit: è quibus pauca attinge-  
mus. Maxima sunt: quod Instru-  
mento Pacis negotia aliqua refu-  
tata, aut in contrariam sententi-  
am definita sunt. Nam quis cre-  
dat, viros prudentes & Christia-  
nos,

C

nos,



nos, *Extirpationem Domus Austriacæ* (h.) serio optasse? Longè cordatius sapuissent ex ethnicis Spartani; qui occasione oblatâ evertendi Athenas, negarunt se commissuros, *ut alter de Græciæ oculis erueretur*. Quanquam huc quidem nondum in Germania ventum erat: & ne veniretur, multa obstare poterant. Si tamen vel improbâ spe quis hausisset ea, quæ non sunt unius sæculi, non debuit propterea subrepere oblivio illius temperamenti juris bellici, quod naturalis ratio etiam victoribus suadet, tantum abest, ut Christiana religio sæviora, & in exitium Christianorum hostium tendentia consilia, cuiquam consiliario aut bellatori permittat.

(h.) Do-



(h.) *Domus Austriacæ.*

Quam quidem fieri nec debere nec posse vel potuisse, inter alios. *D. Textor. adv. Hippol. ostendit, c. X. de Rat. Statûs German. modern.*

Et, quàm illud à scopo & salute Imperii alienum sit, quod omnia ad Cæsareæ auctoritatis & potestatis destructionem vel ab orco convocat Hippolitus, nemo rerum peritus, dubitandum existimaverit. Imperatore opus est Imperio, aut fiet, quod prudentes pridem præfagiverunt, ut omnia, intestinis turbis distracta, divisui, prædæ, direptui habeantur. Scilicet ita accepimus à majoribus rempublicam, ut posteris segregatis discerptisque serviendi foris domique gloriam tradamus? Quod enim discordia membra & diffi-

C 2

pa-



pata atque à capite avulsa, felicitatem civilis scopi, tot laboribus, consiliis, periculis quæsitam tueri queant, ex eorum genere est, quæ nemo nisi impossibilia credere, doctus, expectaverit. Nullum autem Cæsarem habere, an eum Cæsarem, cui præter nomen nihil auctoritatis & potestatis relictum sit, quod Hippolitus contendit, utrum pejus sit, haud facile dixeris.

Sed Hippolitus hostilem erga Cæsarem animum professus, & præterea jura hostium publica, sæviente bello, cavillari, strategematis forensis licentiâ metiens, cur iniqua postulaverit, satis apparet. Verum, qui in Pace Pacis  
ta-



tabulas cavillari, & contra eas, legibus Imperii, & statui bellum indicere non verentur, hi profecto facundi & sapientes cupiunt esse malo publico. E quo genere sunt, *qui negant, Imperium unâ Republicâ contineri, sed esse corpus ex pluribus Rebuspublicis confœderatum.*

Viam muniverunt ad hunc errorem, homines non malè quidem animati, qui in suis scriptis, de *summis potestatibus, superioritatibus, Regalibus*, ita differuerunt, ut non posset non consequi, quod consequi ipsi noluisent, si ab initio animum advertissent. Ita, cum, magno prætextu, *in quemvis Statum Imperii committi crimen*



*majestatis*, contenderent, proximum erat, ut faterentur, ubi esset majestas, ibi esse singularem & ab aliis distinctam rempublicam. Et, si apud omnes Status esset majestas, (i.) tot esse Respublicas; quot Status, concedendum erat. Licet interim parum constaret, (k) quomodo in eum, qui crimen majestatis committere posset in Imperatorem & Imperium, in eâdem Republicâ, idem crimen committi posset.

(i.) *Apud omnes Status esset*

*Majestas.* *Tota penes quemlibet in suo territorio.* Imò fuit, R. quidam Heromont. Francus, qui non ex consequenti, sed audacter & explicitè, singulis Statibus in terris vis veram Majestatem competere, eosque plus in eisdem posse, quàm Reges Angliæ, Sueciæ, Daniæ, Poloniæ, (sic ille Regna variè habentia promiscuè adducit,) in suis possint Regnis, asseruit.  
Cui



Cui sanè tota Imperii compages, universa ejus instituta, Leges novæ pariter ac antiquæ, juramenta Cæsaris ac Statuum obloquuntur: nec minus judicia de vita, bonis, dignitate, fama Statuum; & quòd, si præfinitam rationem, modosque jurium suorum, à Cæsare & Imperio recognitorum, egrediantur, decretis, mandatis & executionibus Imperialibus urgeri queant.

(k) *Parum constaret.* Equidem

Electores in Cæsarem committere potest crimen Majestatis, licèt in Electorem quoque idem crimen admitti possit. Nec tamen hoc *efficienter*, ut in Cæsarem, sed ut si quando in Electore *objectivè* committitur, in Cæsarem potius *per derivationem* admissum esse censeatur: idque respectu ne quidem habito ad territorium Electoris, sed *ad universitatem Imperii*. Nam quæ distincta territoria, sive subalternam cujusque Status Superioritatem, in Electores non magis quàm in singulos Status cæteros, admittitur crimen quoddam *analogum*, quod à vero & proprio Majestatis crimine, effectu quoque coërcitionis, differre, alibi dictum est.

Si enim propriè loqui amamus, crimen majestatis committere posse, ita est nota subjectionis; sicut, imperii summus & certus character est, si quis talis sit, ut in  
eum



eum crimen majestatis committi possit. vid. *DN. Nicol. Myler. ab Ehrenbach, de Princip. & Statibus Imp. part. 3. cap. 93. §. 3.* Neque erat cujusvis, quid propriè & ex vero, quid secundum analogiam, quandam aut qualemcunque similitudinem diceretur, probè discernere, aut periculum locutionum impropriarum in ejusmodi argumentis prævidere. Plerique (1.) satis cautè sibi videbantur egisse, si vocabulo summæ potestatis & majestatis, in causa Statuum abstinerent, & *Superioritatis* vocabulo uterentur. Quanquam explicatio, & applicatio, ut jam dictum est, sæpè illuc declinavit, unde recedere, ratio erat.

(1.) Ple-



(1.) *Plerique*. & præ cæteris *Lampadi-  
us*, qui tamen singulos Statûs ea *in suis territoriis cum  
summa potestate* tenere asserit, de quibus cum Cæsare  
*in Comitibus* conveniendi facultatem habent.

Hi fortasse errorem suum,  
Scholis imputare possent, ubi va-  
gum istud & fluctuans philoso-  
phandi in civilibus genus obtine-  
re coepit. Deterior est eorum se-  
cta, qui meliorum gnari, pruritu  
quodam novandi publica, & ma-  
le callido placendi nonnullis stu-  
dio, *Imperium non esse unam Rem-  
publicam, sed corpus ex multis Re-  
bus publicis fœderatis conflatum* (m.)  
disputant. Aliquotiens inter,  
dissidia & turbas temporum, mo-  
ta hæc dubitatio, semper displi-  
cuit Patriæ amantibus Civibus.

D                      Quod



Quod enim libertas Ordinum ita auferetur, opinione vanâ fingi iudicabant: & non majus posse creari periculum libertati Statuum, aut præparari perniciem, providebant. Annon merito reformides, unam negare Rempublicam, quæ non aliud ad conservationem sui magis desiderat, quam intimam illam unitatem? An ad cætera membra tam vasti corporis, etiam hoc addemus: non esse unam Rempublicam, sed multas separatas? Neque enim Fœderationis eadem ad uniendum, & coalescendum vis est, quam unus unius corporis spiritus promittit. Ita nimirum, reverentiam Imperii capiti debitam minui, &



& necessitudinis inter Status vincula, aliis casibus laxata, paulatim plane dissolvi oportere, nemo bonorum erat, quin tam prævideret, quàm prave callidi optabant. Erat in oculis fatum Achaici foederis; tam præclare victi, ut nihil adstringi posse fortius videretur; tam cito dissoluti & in servitutem redacti, ac si scopæ fuissent malè cohærentes. Obstabat religio & respectus majorum, qui longè aliter ordinatum constitutumque Imperium voluerunt. (n.) Obloquebantur Leges Imperii publicæ. Leges, inquam, quæ novissimâ Lege Pacis sunt denuo stabilitæ, & confirmatæ.

D 2

(m) Cor-



(m.) *Corpus ex multis Rebus-  
publicis fœderatis conflatum.*

Dantur enim varia Civitatum *Systemata*, ut earum singulæ summò polleant Imperiò, sed quasi in unum corpus compactæ sint: quorum varias species *ad* Huberum *de Jure Civit.* recensuimus. Et in his plerumque non *jure majoris partis*, (quanquam hoc etiam non præcisè *dependentiam potestatis* inferat,) sed rationibus & Lege seu pacto fundamentali agitur, qua circà exercitium commune unius alteriusve partis summi Imperii conventum est. Utique *Severini de Monzambano* hæc sententia  $\kappa\tau\iota\ \tau\omega\ \epsilon\pi\tau\acute{o}\nu$  non fuerat, quòd Imperium Rom. Germ. *corpus* quoddam *fœderatum* sit; quin potiùs ex variis ejus locis, in quibus fluctuat, hoc tantùm conficitur, quòd Respublica nostra pro una haberi non possit: ut plus dicat, quid non sit. Videlicet *non esse Regnum* ait, c. VI. ne quidem *limitatum*, licèt exteriora simulacra tale quid præse ferant, neque exactè corpus aliquod aut *systema* plurium civitatum, fœdere nexarum, sed potiùs aliquod inter hæc duo *fluctuans*. Hinc irregulare esse corpus, & monstro simile: quodque, *si* tollas mutuam inter Imperatorem & Ordines renitentiam, reverà fuerit Systema sociorum inæquali fœdere junctorum, in quo Cæsar velut Princeps aut Dux fœderis emineat. Quisnam verò sustulit, quisve tollet hanc renitentiam? & quænam hæc est *renitentia*? num tantùm *Legalis*, quæ in eâdem Republicâ cardinem facit inter  
Prin-



Principatum & Libertatem? num *facti*: at verò hæc juris, aut Statûs ei insistentis, rationem non ingrederetur. Equidem *Tob. Paurmeisterus Lib. II. de Jurisd. Imp. Rom. c. 1. n. 18. seq.* assimilationem quoque Corporis Imperii cum Concilio *Achaorum*, ex *Tbuano*, adducit. Ipse tamen in Imperio βασιλείαν καὶ νόμον, i. e. ut exponit ille, *num. 9.* Regiam *administrationem*, Legibus adstrictam, obtinere docet, quæ ad *μονοκρατίαν* referri non debeat: *num. 12.* indeque Imperium nostrum *Aristocratiâ* esse censet, seu *Collegium civium*, potestatis Reipublicæ Romanæ actu participum. *num. 2.* Debebat verò ille ostendisse, Cæsarem tantum *Administratorem* esse: nec poterat *Regnum* limitatum ad *Aristocratiâ* referri; non etiam protinus sequebatur, Statûs ex hinc, quòd exercendæ Majestati intervenire, ejusdem habendos esse participes. Et nimium inhæret verbis *Aristotelis*, cujus mentem & institutum, (quod ille tenebat, dum *Civem* (*Democraticum*) defini- ret,) non attendit: quem in errorem quoque alii post *Paurmeisterum* inciderunt, mirum putantes, quantum ingenii ad hanc de forma Reipubl. Roman. German. (quam proinde *Statum* esse volunt *Politicum Aristotelicum*,) & ad *conditionem Statuum* adferrent, si eos ad speciem *Cives ejusmodi Aristotelici* redigerent. Nec enim instituta illa, sive *Aristocratica*, ut videntur *Paurmeistero*, sive unâ *Democratica* plura, quod deinceps alii, (qui propius *Aristotelem* penetrâsse volebant,) *mixturam* quandam ex hinc propinantes, assuebant, ad *summam Imperii* pertinent. Pugnancia quoque



que loquitur *H. in Praefatione ad Part. V. des Neuen Nürnb. Wapenbuchs*/ quando Imperium nostrum Rempublicam *merè* feudalem, quæ in *Monarchiam* Legibus circumscriptam desinat, evincere satagit. Nec tamen hi omnes ab *Unitate* Reip. nostræ recedunt. Non etiam alius quisquam inde recedere ausus est, exceptis *Peregrinis* nonnullis, (qui aliud agendò in eam sententiam non quidem planè transierunt, sed tamen in eandem pronos se esse ostenderunt,) nisi quòd nuper admodùm in Institutionibus Juris Publ. cordatè perscribatur: *Esse Statùs Imperii Supremos in suo territorio; communis autem fœderis nomine, ob salutem totius Germaniæ, Cæsarem & Imperium agnoscere, ac certis pactis se submisisse, adeoque vinculis teneri, quibus compages Imperii continetur, b. e. Legibus publicis, quæ ex consensu ipsorum constituta ac à Cæsare latae sint.* Hic nomina Cæsaris, Imperii, Legum latarum, & simulacra tantùm, reperias; sed re ipsâ non nisi *Principes*, etiam in ratione *universæ* Germaniæ, ejusve Imperii, *summos*, saltim in corpore: non nisi *fœdus* commune, quod Imperium contineat: non nisi *pacta*, quæ vim omnem ex fœderatorum placito fortiantur.

(n.) *Constitutumque Imperium voluere.* Hactenùs dicta repræsentant *pericula*, quæ ex sententiâ illa, *Corporis tantùm fœderati*, metuenda sunt, *vorùmque* continent, ne unquam eò *Statu* Imperii deflectat. Quæ nunc sequuntur, *argumen-*



*menta* referunt, quibus *unam esse Rempublicam nostram* firmari queat. Etenim sub Imperio uno constitit à longinquis *institis*, sub quo & *perduravit* adeò, ut non possit ostendi *spontanea* quædam *origo* illius, qualis est fœderati corporis. Hinc *Imperium* audit, *Regimen Imperiale*, *Cæsar*, *Respublica*; haud usquam Fœdus dicitur. *Legum* quoque recentissimarum *verba* non tantùm, sed & *consequentia*, Rempublicam unam præferunt, nec cum hisce pluralitas Rerumpublicarum stare potest. Idem tota Europa, Orbisque totus, ab antiquo agnoscit, & Rempublicam nostram ut unam respicit, quæ *Imperiò*, non tantùm conventionem, nitatur. Habet etiam Rom. Germ. Imperium *unius Civitatis* requisita, habet *una & omnia jura Majestatis*, quæ semel & simul in universo exercentur: habet *Leges* unas, communes, universales, ad *subditos* quoque *Statuum*, horumque *Politiam*, & *beatitudinem* omnigenam civium, porrectas: habet *Comitia* una, de Imperii salute communi; ad quam unicè tendunt etiam *Conventus & Comitia particularia*. Habet *census & collectarum* rationem unam. Proinde satis est, constare de *subjecto communi*, unius Majestatis, quicquid sit de *proprio*, an hoc ipsum Cæsar solus, an juxta illum *Statûs* constituent. Neque etiam de Potestate Principum *in suis Territoriis* hîc disquiritur: quamquam nec accuratè dici possit, quemlibet eorum in suo *Rempublicam* habere; ceu nec *civitates Imperiales* in rigore Respublicas rectè diceret, quippe *subalternas* omnes. Sanè fœderatum duntaxat habere non



licet, qui ratione non modò *honorum*, ut Vasallus, (& ta-  
 men hic etiam arctius *Domino*, quàm foederatus socio,  
 obstringitur,) sed & *persona* intuitu ab Imperatore &  
 Imperio dependet, eamque *subjectionem homagio* re-  
 ligiosè profitetur; imò gloriam *Immedietatis* in eò  
 ponit, quòd nulli alii quàm Cæsari & Imperio subje-  
 ctus sit. Nemo foederatus socium quàm talem, ut *sub-*  
*ditus Dominum*, respicit. Nemo *Dignitates* suas, quan-  
 tæ & quæcunq; fuerint, ab eo, ut Statûs à Cæsare, nemo  
 sua *jura omnia, libertates & privilegia* à foederato  
 agnoscit. Nemo *Legislatorem ac judicem* summum &  
 universalem reveretur, suosve *subditos* ad eum recur-  
 rere patitur. Et cum foederatos tantum *Jus commu-*  
*ne* contineat, Statûs Imperii iisdem quoque Legibus  
*positivis, & Civili seu Majestaticò jure*, extrà se, aut sin-  
 gulos saltim, positò reguntur; nec *Legum* formulæ,  
 constitutio, ordo, executio, rationem foederis admit-  
 tunt. Non etiam instar *pacitiorum* habent summa  
*judicia*; sed Majestatica sunt, & potestatis authenticæ  
 ac propriæ: quæ *suâ jurisdictione*, haud quaquam de-  
 pendente aut collatâ, nec conventionali, nititur. Non  
 ferunt hanc Ordinationes Judiciorum, exercitæ Juris-  
 dictionis series, Processuum formulæ, vigor & obser-  
 vantia continua. Suspecti verò recusatio, aliquando  
 audita, similesve querimoniae, non tollunt jurisdic-  
 tionem Cæsaris nec imminuunt, sed arguunt. Imò tan-  
 ta est amplitudo, ac potestas Summorum Imperii tri-  
 bunalium atque Jurisdictionis Imperii, ut *jus* quoque  
*vite ac necis* contineat, Statûsque singuli eandem in  
 cau-



causis *criminalibus* agnoscant ; nec si rei deprehendantur, ut hostes & foedifragi debellantur, sed ut subditi, & subinde Majestatis rei, proscribantur: quicquid sit de modo proscribendi ; saltem de re ipsa constet, quod Imperii jurisdictione eo valeat.

Inviectum sane hinc argumentum, & jure gentium, ipsaque naturali ratione munitum emergit: *In omni bene constituta Republica, de forma & statu Reipublicae, nemini licere debet aliter loqui, quam Leges publicae loquuntur & decernunt.* Non potest vel hodie nominari Respublica, in qua hoc permixtum aut impunitum sit. Nemo autem negabit, opinor, Jura Imperii publica, de Imperio, ut de una Republica, loqui. Nam, cum nonneminem dicere, *Legislatorem Germanicum status Imperii*  
 E im-



*imperitum, vana & inania verborum, non momenta rerum in Legibus loqui, sine dubio flagitiosum fuerit. Cum præsertim non diferta modo Legum verba, sed multæ magnæque consequentiæ inde deductæ, unitatem Reipublicæ evincant.*

Ex Legibus Imperii est, quod Status omnes & singuli, non feudali tantum, sed homagiali jurejurando Imperatori & Imperio devinciuntur, subditique sunt. Sicut post alios, in recuso nuper opere, demonstrat *Dn. Nicol. Myler ab Shrenbach de Princip. & Statib. Imp. part. 3. cap. 93.* Talis autem aliqua obligatio, in foedere inaudita est, & cum natura foederis pugnat. Ex



Ex Legibus Imperii est, quod Imperator per modum Legis in universo Imperio valituræ, creat Nobiles, Barones, & cetera dignitatis eminentis jura confert. Quod Capiti foederis alicujus attribuire, ubi Foedus Reipublicæ opponitur, (o.) multis modis absurdum est.

(o.) *Foedus Reipublicæ opponitur.*

Posse enim Cæsarem Statibus foedere jungi, & quâ ratione possit? alibi diximus.

Ex Legibus Imperii, non repetemus, *Romani Imperii, & Cæsaris*, nunquam oblitteranda, aut ad foedus accommodanda nomina: & quæ de *provisu & regimine Imperiali* signanter dicuntur. Quis Foederatorum unquam (ex-



cutiatur tota historiæ universitas) ita potuit loqui, ad omnes foederatos: *Unsere und des Reichs Unterthanen? Quod in Recessibus, Imperii, Edictis, privilegiis, solenne & ordinarium est.*

Ex Legibus Imperii, Jurisdictio, sive summa potestas Judicialia Cæsari ita competit, sicut Foederato, utut eminenti, competere nequit. Potest quidem Jurisdictio, *jure pactitio* ad aliquem, pertinere: & *tanquam ad Ducem bellicum.* Sed hæc alterius generis sunt. Nam Imperatori majesticè eam convenire (certe hætenus & in iis partibus, unde exceptio (P.) in legem non est deducta) ex omnibus iis, quæ publicè

cè



cè circa hanc rem , vel legibus constituta , vel formulis perscripta , vel usu , & observantiâ perpetui temporis firmata sunt , intelligi potest. Nam si quid in certis casibus querimoniæ intercessit , id ad tollendum jus pertinere nequit. Sanè Fœderatorum uni , vel præcipuo jurisdictionem ita concedere exercendam , sicut Imperatori in Imperio exercere , fas est , non fuit , non erit in exemplis ; aut si verbo esset , re non esset ; civitasque haberetur , quæ fœderis vocabulo abuteretur.

(P.) *Unde exceptio.* De Jurisdictione *Sacrâ* suo loco: ut & num non in *cæteris* Jurisdictione , etiam in Camera Imperiali exercita , solius Cæsaris habenda sit?

Verùm , non capit hic scriptu-

E 3

ræ



ræ modus, ut demonstrationem hujus rei amplio-rem suscipiamus. Pergendum enim est, ad sententias, quæ non improbabiles possunt haberi, si commodè explicentur.

## CAP. III.

DE

SENTENTIIS USITATIS, CELEBRIORIBUS, QUÆ HACTENUS VISÆ SUNT PLE-  
RISQUE NON IM-  
PROBABLES.

**P**Ræmittenda sunt hic aliqua: in primis illud: Antiquos, cum de forma & statu Reipublicæ agendum esset, ferè populariter loqui, neque ad ἀνεβολογίας usque, nedum  
ad



*ad tricas descendere consuevisse.*  
Cujus rei magnum sive argumen-  
tum, sive exemplum habemus in  
rebus Romanis. Nullæ sunt vel  
uberius vel facundius descriptæ.  
Neque tamen curiosius quàm ci-  
vilius descriptam Reipublicæ for-  
mam reperias. Dum res Romana  
sub Regibus erat, regnum diceba-  
tur; etiamsi alius regum adstri-  
ctius, alius laxius habenas impe-  
rii moderaretur. Exactis regibus,  
quanquam in mixtam formam se  
respublica composuisset, tamen  
Scriptores alii, aristocratiam, alii  
politiam laudant, (9) prout præ-  
valere illam istamve partem cre-  
diderunt. Atticos quoque Scri-  
ptores, Rempublicam suam mo-  
do



dò popularis imperii mensurâ,  
modo mixto optimatum & popu-  
li potentatu, taxare videas.

(9.) *Alii politiam laudant.*

Sed tamen hi, post ejectos Reges, aliquandiu *Aristo-*  
*cratiam*, usque ad *Valerii Publicolæ* instituta, obtinuis-  
se tradunt. Tum verò *Democratiam* successisse, cujus  
faciem describit breviter Lampadius *Part. 1. §. 3. d. R.*  
*R. G.* & fusiùs in *Inst. Jur. Publ. Lib. 1. c. 3. §. 5. seqq.*  
Kippingius. Besoldus quoque in *Tract. d. Democrat. c.*  
*2. & in Part. 1. Jur. Publ. c. 2.* hanc sententiam propu-  
gnat; eandemque fovet Hugo Grotius *Lib. 1. de Jure*  
*B. & P. cap. 3. §. 19.* Scitè Bodinus *Lib. 1. de Republ. f.*  
*279.* in Magistratibus Imperium, in Senatu auctorita-  
tem, in Populo summam Potestatem (saltem in extre-  
mâ provocatione,) conspicuam fuisse. Nec ergò *Con-*  
*stare nus mixtam*, adeò tunc fuisse Rempubl., ex tribus  
formis, (eò scil. quòd in Consulibus eorumque divi-  
so Imperio, aut in Dictatoribus, etiam Regium quid  
appareret,) asserere debuit. Imò ne quidem *mixta*,  
fuerat ex *Aristocratia & Democratia*, quæ Boecleri *b. l.*  
*& ad primordia Taciti*, est sententia. Duravit autem  
*altera hæc* post Reges *Epocha, Libertatis*, ad statum us-  
que *tertium, Cesarum*, quem post *prælium Actiacum*,  
inchoant, per 479. annos. De formis *Græcarum Re-*  
*rumpubl.* videnda sunt, quæ ex veteribus observant  
*Meursius, Sigonius, Emmius*, alii.

Super-



Superstitioni affine est, quod nonnulli sub prætextu Aristoteleæ sapientiæ, quicquid ibi se non putant reperisse, ignorare malunt, quàm intelligere. Tradidit Aristoteles, plures regni species dari; & inter plenissimam monarchiam, & regnum Spartanum, veluti duo extrema, interjici alia: cujusmodi nominavit, non tanquam enumeraturus omnia, (quod nec facilè docentibus fuerit,) sed ut exempla quædam positurus. Quare non audiendus esset, qui *oblato regno*, cujus exemplum & specimen non extaret apud Aristotelem, (r.) negaret, in regni speciebus id numerandum esse.

(r.) *Non extaret apud Aristotelem.*



Cujus tamen opus nec perfectum est, nec eò perscriptum, ut prudentiæ civilis absolutam doctrinam exhiberet; imò plura ex eo perierunt, quibus nunc destituimur. v. H. Conring. *Introd. ad Polit. Aristot.* Ad hæc *Regula* quidem Prudentiæ Civilis suppetunt, quæ tamen ad quaslibet digressiones Rerumpublicarum, & conditionem cujusque individualem, simpliciter applicare aut non licet; aut verò aptare & formare doctrinas illas ad objecti exigentiam oportet: quod non minùs in *Morali Philosophiâ* usuvenit.

Ita, mixtas dari Respublicas ex pluribus simplicibus diversæ speciei, apud eruditos obtinuit. Si quis tamen malit *Tacitum* sequi, non omne quidem mixturæ genus negantem, sed ad simplicem formam pleraque referentem potius; non est, quod valde cum eo arbitremur certandum. Quia videmus jam olim utriusque moris exempla invaluisse.

Non sunt igitur tantopere re-  
pre-



prehendendi, qui *Monarchicum* statum seu formam Imperii Regiam adhuc agnoscunt. Cujus sententiæ præcipuus propugnator *Reinkingius* <sup>(s.)</sup> ponitur. Quanquam is in hoc genere probari non potest, quod rationes in disputando admisit infirmas, alienas, longè petitas, aut prorsus falsas.

(s.) *Reinkingius* Lib. I. d. R. S. & E. cl. 2. c. 2. & passim. Ante illum post *Veteres* innumeros, *Arumæus* quoque, uti constat ex *Tom. I. Discurs. J. Publ. 2.* item *Hortlederus* Lib. I. c. 18. & Lib. III. c. 30. d. *Caus. B. G.* Dehinc præ aliis *Sebützius* in *Coll. Publ.*

De cetero non est levis momenti, quod tota actus publici facies, & plurimæ ejus formulæ; ad monarchici imperii consuetudinem congruunt; neque elogia monarchia præcidunt. Quamvis

F 2

enim



enim, post varia discrimina & dis-  
sidia in Imperio, Imperator mul-  
ta promittat, per quæ Statuum se-  
curitas à suspicionibus vindice-  
tur, & in tuto collocetur; imò,  
per quæ in partem & consortium  
potestatis non paucis in rebus Or-  
dines admittantur; non definit  
tamen esse Imperator, neque Im-  
peratoriam auctoritatem dimisit.  
*Romanis ab initio Romulus, ut libi-  
tum, imperitaverat: cujus arbitria  
scilicet pro legibus erant. At Ser-  
vius Tullius sanctorum legum fuit, qui-  
bus etiam reges obtemperarent:*  
*teste Tacito.* Nec minus tamen  
hic, quàm ille, Reges erant; &  
utriusque temporibus regnum  
Romæ appellabatur. Postea, Im-  
pe-



peratores aliqui, *nil nisi senatu auctore se facturos*, etiam jurarunt. nectamen itatus Reipublicæ mutabat nomen, (t.) aut pro Monarchiâ, Aristocratia dicebatur.

(t.) *Mutabat nomen.* Et quid nomen mutaretur? ubi reapse Monarchia supererat. *Romulus* quidem *ut libitum fuerat*. (Tacit. 3. Ann. 26.) i. e. non ex Legum præscripto, sed juxta placitum, cum Senatu initum, Romanis *imperavit*; supremo arbitrio sibi reservato, ut tunc Patrum acta rata essent, quando ipse eadem approbaret. Neque etiam *in privatis* aliqua Legislatio, sed ab ipso, priusquam *Curiatæ Leges* orirentur, initio *omnia*, & dehinc etiam, ut & à cæteris *Regibus*, pleraque *manu*, hoc est, nullis Legibus præeuntibus, arbitrio & potestate, ductum, rationis sequente, *gubernabantur*. l. 2. §. 1. seqq. ff. de Orig. Jur. Ast *Servius Tullius* auctor Legum fuit, quibus (ut *Tacitus* habet d. l.) *etiam Reges obtemperarent*: quatenus vel statum concernerent publicum, vel communia Regi cum civibus definirent. Sed inde nulla Monarchiæ labes. *Tarquinio* autem crimini datum est, quod primus traditum à prioribus mortem *Senatum* adsciscendi solvisset. Liv. l. 49 Interjectâ dehinc Epochâ *Libertatis* (de quâ paulò antè,) *Principatus* apud Romanos *unius imperio*, sed cum tempera-



*mentò moris anterioris steterat: ut potestatis jura non tam ex potentiâ quam Legibus, illis scilicet quibus in Republ. populari diversorum Officia stabilita fuerant, habere Cæsares, atque ea ad commune bonum exercere viderentur. Hinc quamdiu concessâ potestate abuti noluere, non ausi sunt pro arbitrio agere; non secùs ac si in Senatu populo Romano Majestatem revererentur. Atque hæc auctoritas sequioribus quoque Cæsaribus servata est: ut Scriptores Historia Augusta memorant.*

Non longè repetenda sunt, quæ aliàs huc facientia diximus: quæque apud Scriptores Cæsarea Reservata explicantes, non ex vano hausta, obvia sunt. Nec alieni sunt ab hac sententia, qui Status Imperii ita describunt, quod neminem recognoscant superiorem præter Cæsarem. Quæ veluti regula omnes passim libros occupavit. Sed & pervulgatum illud, quod Quilibet Status in suo territorio tan-



*tantum possit, quantum Cæsar in Imperio, quocunque modo explicetur, multam de monarchia Cæsaris confessionem habet. Illorum quoque sententia, qui statuunt, hodiernum Imperii statum esse quidem monarchicum, sed tamen Aristocratically quodammodo temperatum (apud Rümelin. dissert. 3 ad A. B. §. 18. pag. 72.) huc spectat siue in his castris militat. Quo etiam nullo negotio pertrahi potest & pæne eadem est, <sup>(u.)</sup> altera: Mixtum quidem esse statum, in quo tamen Monarchia præponderet. Quod cum Arumæo, Carpzovius (de Leg. Reg. cap. 13 sect. 9. n. II.) & alii tuentur. A prævalente enim statu, denominationem imponi, tralatitium est. <sup>(u.)</sup> Pæ-*



(II.) *Pæne eadem est.* Nisi quòd *hæc ipsa mixturam, illa temperamentum* (id est *administrationis, sive hæc per se talis fuerit & Legibus stabilita, sive per accidens,*) loquatur, quod cum *forma simplici* consistere potest: idque temperamentum in Republ. R. G. agnovit H. *Vultejus*, cum G. *Antonii*, uterque *Hassæ Jcti*, mixturam vellet. *vid. utriusque Veltationes ap. Goldast. Part. XIII. Politic. Imperial. p. 623. seqq.* Utiq; vix dantur actu *simplices* Respublicæ, nisi aut temperatæ, aut vitiosæ seu corruptæ. Sub *temperamentis* autem simulacra etiam continentur, quæ pro jure Reipublicæ, tum ab imperantibus tum à parentibus, diversò *utrinque* institutò, venditari solent. Qui verò *mixtas* dari posse Respublicas malè negant, ut *Slüterus, Stamlerus* & alii, illis Cæsari Monarchiam asserere facilius est.

Et, quando vocabulis & definitionibus Philosophorum uti, in consuetudinem cessit, neque prærogativa Cæsarea monarchicis juribus prægnans, negari potest, Libertas autem Statuum in partem curarum & regiminis assumpta magis magisque exsplenduit; *medius*



*dus inter Monarchiam & Aristocrati-  
am, & ex utraque mixtus sta-  
tus* plerisque placuit: (x.) *Limnæo*  
in primis latè hanc sententiam,  
propugnante. Hic fortasse subsi-  
stendum erat. Curiosius enim,  
quàm utilius quæri existimaveris:  
*utrum in hac mixturâ, Monarchia,  
an Aristocratia prævaleat.* Si au-  
tem omninò, qua ducunt hi di-  
sputatores, sequi placet, facile  
contra *Limnæum* demonstraveris;  
Monarchiam vel ex eo prævale-  
re, quod Status soli absque Impe-  
ratore, in universo imperio, &  
summa Republica, nihil majesta-  
ticè agunt constituuntque: Cæ-  
sar autem omnino hoc facit, & so-  
lus in multis majestaticè agendi  
G & de-



& decernendi jus habet. Nam, qui Imperatorem nihil aliud, quàm *Administratorem Imperii*, & in Comitibus, *Directorem tantum Comitiorum*, (y.) non verentur docere, in Leges Imperii fundamentales & majestatem Imperatoris palam injurii sunt. Sed de his disputare, hujus instituti limites egreditur.

(x.) *Plerisque placuit.* Et ipsi placet Bœclero, quando in superioribus: *mixta ad simplicem formam referenda, nec tantoperè reprehendendos esse, ait, qui Monarchicum statum adhuc agnoscunt. Faciem, formulas, etlogia ad consuetudinem ejus congruere. Cæsarem verò in partem & consortium potestatis Ordines admittere; in quibus tamen auctoritatem Imperatoriam non dimiserit. Nomen Regni à statu prevalente servandum. Prærogativam Cæsaream Monarchicis juribus prænantem esse, &c.* Idem ad Daniel. Otton c. 7. pag. 20. quod *mixtum sit Imperium, inquit, veram esse sententiam.* Junge ibid. c. 9. p. 46. seq. ubi etiam *pleraq; cum Ordinibus commu-*  
nia



nia esse tradit. Urget quoque hanc sententiam *Herm. Conringius*, in *Diss. d. Negot. Convent. Imp. lb. 62.* item de *Comitiis Imp. lb. 5. 24. & passim.* atque in *Diss. de Capitul. lb. 53.* ait: aut oportere nos statuere, Rempublicam nostram mixtam esse, ubi summa potestas penes unò plures vel divisim vel indivisim etiam, quamvis diversò modò atque in simplicibus, sit: aut quòd nostrum Imperium sit quoddam Corpus civile plurimum inæqualium, in quò unus Dignitate & Autoritate præ reliquis emineat, reliquorum etiam Ordinum alius præ aliis suis gaudeat prerogativis, penes universos autem existat, & cetera. Sed ita, licet imperiosus, tamen varius est, neque sibi constat *Conringius*. Caterum tristissima est mixtura sententia, in quâ tamen si quis Monarchiam fingere velit, (sic loquuntur,) Aulam hunc Reipublicæ præferre, ex consortibus Imperii adjuutores, ex imperantibus Magistratûs, ex novis antiqua facere, dicunt. Quicquid verò sit de veritate Mixturæ illius, quam ex Legibus Imperii frustra quis asserat, *Bæclerus* sanè, in mixtura illa Monarchiam prævalere, ex hinc non satis exactè probat, quoniam solus Cæsar in multis Majestaticè decernat, quod in nullò possint absque eo, Aristocraticè scilicet concurrente, ut intelligi potest, ac ex suâ hypothesis, (cum alias non posset dari in Statibus, sinè Cæsare nil valentibus, Aristocratiâ,) debet etiam, Status Imperii. Nam ita non erit unquam Status aliquis mixtus ex Monarchiâ aliâque Reipubl. formâ, ubi Monarchia non prævaleat. Quin potius ad præstantiam Jurium, nec adeò numerum, sed



sed ad pondus eorum, quæ vel Monarchicè vel Aristocraticè exercentur, respiciendum fuerat; nisi tunc sibi metuisset *Bœclerus*, ne in *Limnai* sententiam (quod Aristocrata prædominetur, *Lib. I. Jur. Publ. c. X. n. 12. Et in Add. prior. p. 75. seqq.*) pertransire necesse haberet: ad quod induci nõlebat ille, qui tantoperè sibi *Monarchiam* Cæsaris, saltim ex nomine & prævalentiâ, conservâsse videbatur. Illud verò contrà *Limneum* efficacius intorqueri poterat, quod etiam in his omnibus, in quibus *Status* interveniant, quæ ferè sunt, in quibus *Reipublica momentum præcipue* constituitur, *divisâ* etiam & *eminenti ratione* Cæsar, non junctim & indivisim, (ceu aliquis ex Proceribus,) accedat; nec tantùm, ut Director Optimatum, Imperii prosit negotiis: quòdque Imperii corpus, quâ *Status* tantùm notat, nil quicquam possit, quod singulos obliget, nullumque Jus Majestatis Ordinibus seorsim consideratis, saltim non plenè, absolutè aut independenter competat; multòque minùs collectim sumpti omnes Imperatori quid præcipere queant: adeòque corpus quoddam Universitatis non sit in ratione Imperii, eò ipsò quod haud unquam separatum sit. Denique quòd Imperator Corpori illi, seu Statibus, pactione tantùm, salvâ Majestate, obligetur. Proinde minùs quidem impingunt, qui Asserere Aristocratiam in Ordinibus non audent, sed quòd tantùm jura ipsorum, *ex naturâ Aristocratiae quid participant.* (Sic enim propiùs ad Aristocratiam sibi accessisse, ipsumque *Status* attigisse videbantur, secùs atque illi, qui duntaxat  
 tem-



temperamentum quoddam administrationis admittebant.) Sed tamen & hi nil definiunt, neque ad Jurisprudentiæ subveniunt, quæ si certis non nitatur principiis, multas dehinc conclusiones in rem publicam, æquè incertas, vagè exerrantes, ipsique capiti membrisque pariter nocivas emittit. Num verò *Electoris Moguntini* Dictio, sicut eam *Sleidanus Lib. I.* consignat, negotium conficit? *Ad Monarchiam animi fortitudo spectat: nobis autem inprimis Aristocratia retinenda est.* Num & *Mauritii Electoris Saxonis?* apud Eundem *Lib. XXIV. & XXV.* cui *Carolus* dicitur attentare, ut *Monarchiam*, diu cogitatam introduceret. Vix quisquam credat, *Moguntinum* aut *Saxonem* sibi tantum authoritas sumere, ut unâ dictione *Statum Imperii* definiant: & *Sleidanus* *Monarchiæ* nomine, pro ratione illorum temporum, (ut *Hortlederius* habet in not. ad n. 2. c. IV. *Lib. V. de C. B. G.*) tyrannicum & injustum dominatum, seu quod mitius fuerit, *Monarchiam absolutam*, intelligit. quam in *Carolo Hispano* metuere poterant *Electores*; quibus inprimis *modus exercendi Majestatem Germanici Imperii* conservandus erat. Nec aliter *Mauritius* cum *foederatis*: qui *abusum Monarchiæ* innuebant, (v. *Hortled. d. l.*) ex successu armorum *Caroli* in *Bello Smalcaldico*, nisi maturè eidem occurreretur, metuendum: ita & *Henricus Rex Gallie*, ap. Eund. *Lib. V. cap. 3 n. 7.* daraus nichts gewissers folgen könnte / dann daß eine Monarchie dem Kaiser / und dem Hauß Oestreich / erbauet würde.



(y.) *Directorem tantum Comitiorum.* Istud *Limnaeus I. X. n. 36.* (qui resipuit in *Add. post. p. 164.*) Hoc *Hippolithus à Lapide, P. 1. c. 4. de R. S. sect. 1. n. 6.* attulerant. Sicut verò *administratio* Cæsaris (quam ipse loquitur *R. N. 1559. pr.*) essentialis est, atque ex potestate propriâ immediatè producta: non etiam accidentalis seu dependens, quam *Limnaeus* intellexerat. Essentiale enim est, quod extrà se causam aliam administrationis non habet: Ita Comitiorum ratio non patitur, ut cum *Lapideo* Cæsarem *Directorem* tantum Comitiorum, & ab Ordinibus conclusorum Executorem, imò Imperii Ministrum, & orbem potentia: nomen, dicere liceat.

Supereft *DN. Ludolphi Hugonis* sententia, qui in hac quæstione cautè, sobriè, eruditèque incessit, conscripto nobili commentario, *de Statu Regionum Germaniæ & regimine Principum summæ Imperii Reipublicæ æmulo.* Iterari & augeri editionem, è Republica crediderim. Hic distincta videbis,



bis, quæ vulgo confunduntur; explicata, quæ intrlicantur. Ita autem se comparasse videtur, ut, siue in Republicâ Imperii, Monarchiam declarare, siue mixtum ex Monarchia & Aristocratiâ statum probare velis, non sis habiturus eum adversarium, quamvis lectorem, captum viri doctrinâ & iudicio, nunquam fatiari, & semper aliquid ultra expetere fas est. (2.)

(2.) *Expetere fas est* Nil inde fatietatis, si dicturus sententiam in generalibus, implicitis & ambiguis subsistat, satis securus suæ, id est, indefinitæ sententiæ. Dicam noviter, sed verè dicam, non ex his, quæ facti sunt, (quod nec fieri debet, Boeccler Lib. III. Inst. Pol. c. 8.) sed firmiter dicam, ex Legibus fundamentalibus, & dilucidè: quòd in Imperio Germanico Majestatis Monarchicæ subjectum proprium detur, quod est *Cæsar*; & commune, quod Imperii Ordines seu *Status* constituunt. Enimverò Majestas virtualiter *universi populi* voluntatem & potestatem am-

bi-



bitu suo continet: & licet *quà talis* est, solum resideat in Republica ex parte *Imperantis*, tamen hoc solum quoad subjectum *proprium* obtinet. Quà verò Majestas, sive summum rerum arbitrium, activitatem notat *populi*, quam ergà *alias* exserit *Respublicas* in societate Gentium, aut quâ vult *singulos* regi in Civitate suâ, (quò ipsò *universalis* est, ac in vim Imperii *potestatisque* resolvitur, quam Principi *unicè* & quidem *abdicativè*, nullâ sibi parte Potestatis reservatâ, (*pr. Capitul. Leopold.*) detulit; adeò ut ne quidem in ordine *fundandi* penes populum *Majestatis* quid remaneat: (cùm in statu Monarchico Majestas illa, quam *realem* dicunt, nec *superstite* Rege obtineat, neque *Interregni* tempore, quo liber Populus solummodò curam *pacitiam* jurium, aliàs ad Majestatem *relatorum*, gerit:) Sic per totam Rempubl. suò modò diffunditur, aut saltim ei imputatur. Hinc cum juxta *Cæsarem* Status *universi populum Germanicum representent*, ideò quoad ea, quæ *voluntatis* sunt, cum primis ubi ad Imperii vires & *potentiam* negotium pertinet, eorum quoque mentio post Caput in Imperio nostro hâc formulâ: (quæ quidem non semper in voce illâ: **Reich**/ Imperii Statûs, sed Imperium designat ejusque jura, quod Cæsar tenet:) injicitur, **der Kaysar und das Reich**: tum quòd liberè ab antiquo Regi seu Imperatori suo Majestatem detulerint: (est enim Majestas in fieri omninò à populo:) adeòque Cæsaris potestas licet *summa* fuerit, non tamen, & ne quidem in *Reservatis*, *absoluta* sit: tum quòd

to-



totam quidem, etiam quâ *Jus Sacrorum*, (de quo *alibi* distinctius,) habeat Majestatem, seu plenitudinem potestatis, indivisim & in solidum; attamen potentia, (quam ex ratione Imperii potestas Cæsaris actuat,) & vires Imperii in universum penes Statûs (quanquam ab *Imperio* seu potestate summa, quam Imperator tenet, cum *juribus cæteris, recognita*,) resideant: nullò aliò simili exemplò existente in universò terrarum orbe. Nam & ipsi Statûs singuli, juxta eminentia illa *Libertatis* atque *Dignitatis*, quibus aliorum Regnorum Ordine longius post se relinquunt, axiomata, in *Regimine subalterno*, terras suas non ut Magistratûs, sed *perpetuò & patrimoniali* jure regunt: unde profuit, quòd de summâ Reipublicæ nunc quidem illi tantùm *consultent*, eorumque *consensum* Cæsar, dum præcipua Majestatis suæ jura *exercet*, tanquam *conditionem sine quâ non*, adhibere *ex pacto* (agnito etiam in *Art. VIII. Instr. Pac.*) teneatur, qui ejusmodi *Superioritate territoriali* gaudent: sicut latius in *Bedencken ad Herdenum* expositum est. Et quoniam Imperii Statûs reperiuntur, qui *viribus Regiis* instructi, iisque præcellentia *Dignitatis* proximi sunt, hinc illi in actu secundò, (cæteri Statûs quilibet in actu primò,) inter Gentes, quoad ea, quæ *exteriùs* gerenda sunt, velut bellis, fœderibus, Legationibus, *Potentatu* pollent: quò tamen, ad *Imperium* relati, non aliter, quàm ex fide & religione illi debitâ, uti possunt. *Discrimina* reliqua inter *Statûs* eorumve *Collegia*, quæ Regiminis exercendi modum attinent, ex parte ipso-



rum distinctos gradus Libertatum atque Privilegio-  
rum; ex parte *Cæsaris* Imperium ejus *Monarchicum*,  
tantò magis arguunt: quòd inter alia, *iisdem v. c. ju-*  
*ribus exercendis*, nunc tantum Collegium Electorale,  
nunc verò, (quoties fieri potest, sic innuente *Capitu-*  
*latione*, vid. art. 10. 12. *Sc. Capitul. Leopold.*) univer-  
sos Status adhibeat: quin & alia, quæ vel singuli Sta-  
tus vel Collegia ipsorum, diversimodè ad Imperii cu-  
ras obeunt, à *Cæsareâ* Majestate, tanquam ex fonte  
promanent, & ab eâ robur atque firmitatem sortian-  
tur. Denique *Monarchia* illa, quâ *Cæsar* partim *jure*,  
partim *actu* etiam, in *Pontificem & Imperii Romani ve-*  
*teris* reliquias, ut & in terras *Regni Italici* valet, *pecu-*  
*liaria* instituta habet. Quandoque *plures* veteris Im-  
perii *Imperatores* extiterunt, quorum, *sictrâ* *partitio-*  
*nem* Imperium tenuerunt, Aristocratia Duum vel  
Trium aut Quatuorviralis; si *cum* *partitione* terra-  
rum, licet sub *unius* nomine *Imperii*, duæ *Monarchiæ*;  
si *Imperanti* *adstitisset* unus alterve *Augustus*, in par-  
tem curarum assumptus, *una* in istis *Monarchia* fue-  
rat. (ita rectius post alios *ap. Rümelin. P. 3. Disp. 2. ad*  
*A. B. th. 17. ibique Add.*) Nec minus hinc partitionem  
illam inter *Ludovicum Bavarum & Fridericum Austria-*  
*cum*, de gerendo simul Romano *Germanico* Imperio,  
initam, cujus *Diploma* quoque *P. Lambecius in Con-*  
*tinuat. Itiner. Cellens.* adducit, dijudi-  
care licet.

S. D. G.

Gene.



Generis natalibus & Virtutum  
ornamentis

*Nobilissimo Juveni,*

D N.

WOLDEMARO à KIRCHRING

S. P. D.

NIC. CHRISTOPH. LYNCKER, D.

*F*acis rem egregiam, Cultissime KIRCHRINGI, qui flumen argumenti ingrederis, quod ceterorum omnium in se fontes derivet, quòque plenis velis subvectus applausum peritiae securioris mereri queas. Fatebuntur omnes, cum nil adeò suasu nostrò pratermiseris, quò veram illam Publici Juris notitiam firmare liceat, haudquaquam isthàc aurà istòve sidere usum involvi syrtibus, nec unquam scopolis allidi Te posse. Quàm enim fluctibus bi jactentur, quos nec Romani Juris Civilis, nec eorum quae Germania tribunalia agitant, desiderium capit, solà Historiarum & Politices, utut levi saepius & mutuato, studio contenti: illud experimentis quotidianis subinde me comprobasse nosti, atque Tecum ex nostratibus agnovère plurimi. Proinde veternum ceteri excutiant oportet, ut res suas rectius ordinent. Tu verò, Generose Juvenis, navim Tuam, nec dum triennali sed fructuosò mercatu validam, Remigiò Altissimi, ad portum latus propelle. Sic voveo, & voti damnas fieri cupio! Jena, d. 26. Jul. 1686.

H 2

Labo-



AK TH 4468

**L**aboribus confertur incluti merces  
honoris : æternum decus manet veram  
industriam, nec terminatur annorum  
serie eminens virtus. Vigor tuæ mentis  
cumulabit aureos honoris accessus!

*Ita applaudit*

**Petrus Müller / D. & Prof. Publ.**

**O**rtus ab antiquo, DE KIRCHRING, stemmate, stemma  
Nobile collustrat Nobilis arte suum.  
Scilicet ad veterum quicumque adspirat honores,  
Viribus ingenii quæritat iste viam.  
Hoc igitur cum Tu virtutis tramite, Fautor,  
Lateris; deerit gloria nulla Tibi.

*Paucula hæc Generoso DN. de Kirch-  
ring, Fautori suo summo, observantia  
ergo adjiciebat*

**Sylvester Erhard, Gvelfherbytanus.**

**I**mperii nostri sistis formamque statumque;  
**I**mperii MEMBRI fias mox firma columna.

*Ita Generose DN. Woldemare de Karckrinck, Cognate  
Fraterne, animum voveo, qui ero donec ero  
tempore artis & martis totus Tuus*

**STAUBER.**

**N**unc ubi promittunt speratam jugera messem,  
Messis & ad nisus est Tibi parva Tuos.

Scilicet, ingenii dum flavos Quæstio fructus  
Promit, in applausus pondere messis adest.  
Grator; & hanc messem dives quò messis honorum  
Excipiat famâ fertiliore, precor!

*Sic Per Generoso DN. Respondenti, Fautori, Con-  
salino atque Amico Fraternali, applaudit*

**Joh. Fridericus de Ritter / Equ. Sax.**

WMA

M.F.





16  
rar  
lia  
dis  
qu  
tur  
pri  
ne  
gu  
apu  
tur  
dis  
tib  
dia  
alic  
tro  
&  
fen  
ver  
spir



tu  
facies, a-  
nirum in,  
toro, una-  
am profu-  
judex non  
quàm do-  
nfa & ar-  
quæ ratio  
fare vide-  
qui extra  
is & à par-  
Pace me-  
m & acta  
, aut con-  
elaturum,  
um partis  
ones, ne  
n studia,  
ert, ille,  
im-

